

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Renati Des-Cartes Principia Philosophiae

Descartes, René

Amstelodami, 1664

Vorwort des Übersetzers

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1384](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1384)

## PRÆFATIUNCULA

AD LECTOREM.



INO vendibili, quod ajunt, *Amice Lector*, he-  
 derâ suspensâ non est opus: Quare non debes ex-  
 pectare ut multa dicam vel in hujus tractatus Pa-  
 thologici commendationem, vel in laudem Au-  
 thoris. Istum lege, & hunc luge, quem mors præ-  
 matura orbi litterato paucos ante menses in Suecia  
 eripuit. Serenissima Suecorum Regina, summi Parentis non minor  
 Filia, quæ tribus Coronis sui stemmatis quartam jamdiu adjecit  
 longe augustiorem, stupendæ eruditionis, profundæ sapientiæ,  
 & liberalitatis magnificæ in eruditos cujusvis conditionis, Nobilif-  
 simum Cartesium humanissimè ad se invitaverat, visis ipsius scriptis  
 Philosophicis cedro dignis, & illecta, ut ajunt, hujus ipsius Tra-  
 ctatus de Affectibus lectione & admiratione. Sed vix in Sueciam  
 pedem intulerat, cum repentino morbo correptus, ex hac statione  
 emigravit. Quanti eum vivum fecisset sapientissima Regina, ar-  
 mata Pallas Gotthicæ gentis, etiam suis lachrymis, audito mortis  
 ejus nuntio, testata dicitur. Tantæ Reginæ de hoc viro judicium  
 sufficit eluendo quicquid olim æmulatorum quorundam zelus ac fer-  
 vor illi voluerat adspargere. Eorum nemo est cui tam pretiose un-  
 quam parentabitur. Nec potuit non placere summis Principibus,  
 qui talibus adversariis displicuerat. Ea fors est Virtutis & Eruditio-  
 nis, ut illas non minus invidia comitetur quam fumus ignem. Qui-  
 cunque semotis affectibus ejus opera legerit, fatebitur, illum ma-  
 gnam lucem Philosophicis Disciplinis intulisse; etsi ejus placita non  
 admiserint, quibus post fruges repertas glande adhuc vesci volupe  
 est. Hic ipse tractatus Pathologicus satis ostendit, non minus il-  
 lum in Microcosmi cognitione, quam in Macrocosmi contempla-  
 tione profecisse. In nullius manus veniet, etsi diversa sentiat, ut  
 semper licuit inter bonos, quin ejus acumen, solertiam, perspi-  
 cuitatem, ac subtilitatem miretur, & quod tam commode ad so-  
 lam rationis faciem in istius naturalis automati motus omnes inqui-  
 rere

A D L E C T O R E M.

rere potuerit. Considerat enim hominem Philosophico more, nec penetrat in nativam illius corruptionem, horum motuum anomalorum & eccentricorum in nobis fecundissimam matrem, quæ Theologicæ est disquisitionis. Ne mireris vero, *Benevole Lector*, quod styli, quo nostra lingua usus est, nitorem Latino sermone assequi non potuerim. Debuisset ipse interpretis fuisse suorum conceptuum. Satis mihi fuit, eos quam potui fidelissimè exprimere; quod dum facio, elegantia obliviscor. Et ausim sanè dicere, illos non potuisse ab alio quam ab homine Gallo satis feliciter exprimi. Id me movit ut cum nomen *Affectuum* Latinius forte posset usurpari, maluerim tamen *Passionum* vocem retinere, quo Authoris ipsius principiis magis inhærerem. Nec initio aliis quam mihi soli hanc Metaphrasim adornabam; sed postea viri magni, quorum autoritatem refugere religio mihi fuisset, autores fuerunt ut eam Typothetæ permitterem. Et adjeci Epistolas Editioni Gallicæ præfixas à Viro illo Doctissimo qui eam procuraverat. Fruere igitur nostrâ hâc qualicunque opellâ, *Amice Lector*, & ex illa disce Affectibus tuis moderari. V A L E.



A M I-